

Karl Friedrich Stäudlin

**Academiae Georgiae Avgvstae Prorector Cvm Senatv Sacra Resvrrrectionis Iesv  
Christi Pie Celebranda Indicvnt : Praemissa est doctrinae, de futura corporum  
exanimatorum instauratione, ante Christum historia**


Gottingae: Typis Jo. Chris. Dieterich, [1792?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862379598>

Druck Freier  Zugang









87

*Fa 1092 (87.)*



A. M. Synonymum  
Rostock im Jun. 1815.

Dissertationes

- 1, De veris bonarum artium literarumque incrementis ex libertate publica, Oratio, Dieta a Chr. Gottl. Heyne. Göttingen 1763.
- 2, Dissertatio historico-theologica de locis theologicis, col. lectos ex Leon. magno pontifice romano scriptis. Auctor Joh. Jac. Griesbach. Halae 1768.
- 3, De fide historica ex ipsa rerum, quae narrantar natura, judicanda. Auctor. Joh. Jac. Griesbach. Halae 1768. -
- 4, Orationem Augustanae confessionis memoriae ad instituto Lynkeniano ipsa Cal. Octbr. 1791 habendam, indicat Chr. Godofr. Schütz, prof. ord. Senae.
- 5, quod. scilicet altera
- 6, Oratio in anniversariis inaugurationis sacrae academiae Georgicae Augustae, habita a Chr. G. Heyne, prof. eloq. Göttingae 1776.
- 7, Observationes nonnullae ad historiam dogmaticam de spiritu sancto a Joh. Georg Cosenmüllero Erlangae.
- 8, De theologiae christianae origine, Dissertatio Joan. Georg. Cosenmüllero, Lipsiae. -



- 9, Ab lauro, dissertatio de accommodatione  
Christi in primis & apostolicis tribula  
Lipsiae, 1793.
- 10, Dr. Joan. Guil. Rad P. P. O. de  
Joannis baptistae in rem christianam  
studiis. Sectio I. Erlangae
- 11, Sectio II.
- 12, Dr. Georg. Friedr. Seiler summo in theologia  
honores in virum gen. et mas. reo Gottl.  
August de Haenerner rite collatos indec.  
Erlangae, 1792.
- 13, De vaticinationum causis atque finibus, Dissert.  
Dr. Seiler. Erlangae.
- 14, Sectio II.
- 15, Dr. Ammon, brevis argumenti: pro summi  
numinis existentia recognitionis. Pars prior, Erlangae
- 16, Pars II.
- 17, Dr. Seiler summo in theol. hon. in Mag. Haenlein  
rite conferendos indec. Erlangae 1795.
- 18, Michael Weber, prof. ord. de discrimine legitime et  
licite, recte et honesto factorum in libris N. T.  
proposito, vulgo neglecto.
- 19, Michael Weber ad memoriam resurrectionis Christi,  
rite celebrandam invitatur, 1793.
- 20, Memoriam natalitatis Jesu Christi que recollenda  
vobis commendat a academia Jenensis, 1794.
- 21, Part. II. 22, Part. III.
- 22, Commentatio de consilio, quo scriptor in act.  
apost. concinnandis ductus fuerit, Jenae 1818.
- 23, De verbis Christi et notione de adventu  
Christi in N. T. obiter in primis. Jesu vate  
cino Matth. 24 a Tychsen Göttingae 1785

Josephus Juley



ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE  
 PRORECTOR  
 CVM  
 SENATV  
 SACRA RESVRRECTIONIS  
 IESV CHRISTI  
 PIE CELEBRANDA  
 INDICVNT.  
*Stäudlin.*




---

*Praemissa est doctrinae, de futura corporum exanimatorum  
 instauratione, ante Christum historia.*

---

GOTTINGAE  
 TYPIS JO. CHRIS. DIETERICH.



ACADEMIAE GEORGIAE ALEXANDRINAE  
PROFESSOR  
CVM  
RECTOR  
SACRA RESURRECTIONIS  
IESTI CHRISTI  
HIC CRIBANDA  
INDICANT



Procurator, et Secretarius, et Bibliothecarius  
et Cantor, et Capitulum, et Senatus

ROSTOCK  
MDCCLXXV



Sunt hac nostra aetate viri docti haud pauci, qui ea tantum quae Christus primus inter Iudaeos praeceperit, vel quae in libris V. T. de cultu veri Dei tradita a Iesu et apostolis repetita ac confirmata fuerint, una cum iis, quae cum his religionis capitibus arctissimo nexu cohaereant, ad certam et propriam Iesu Christi doctrinam referenda esse existimant. Igitur reliqua omnia, ut opiniones vulgares, quae inter Iudaeos ista aetate vigeant, sententias doctorum, quibus multitudo aures praebebat, et quae sunt eiusmodi, a religione christiana aliena pronunciant, quia nec ad Christum, nec ad apostolos autores referri possint. In his nuper fuit, cuius verbis fere usus sumus, *Eckermannus a)*. His vero principiis quousque assentiendum, quousque resistendum sit, cum nos haud ita pridem generatim exponere conati simus *b)*, nunc in quadam doctrinae christianae parte periculum faciamus.

Monet dies, optimi ciues, de Christo rediuvio ac mortis victore, et de futura corporum humanorum restitutione cogitare. Erunt autem sine dubio, qui iisdem fere principiis ducti, etiam hanc doctrinam et spem iucundissimam, quam Christus contra omnem humanorum ingeniorum dubitationem firmasse videbatur, infringere conabuntur et e religionis christianae nexu necessario exulare iubebunt *c)*. De hoc

A 2

conatu

*a)* Compend. theol. christ. theor. biblico-histor. Altonae 1791. Praef.  
*b)* Ideen zur Kritik des Systems der christlichen Religion. Göttingen 1791. §. 127.

*c)* In his vero non est *Eckermannus* cf. l. c. p. 177. "Nec dubitari potest, quin Deus, a cuius liberali gratia et benignitate beatitudinem aeternam per veram fidem speramus, corpus nostrum instauraturus sit — quamquam nostra parum interfit scire, quale corpus nobilius ac immortale in vita futura habituri simus."



conatu quomodo iudicandum sit, nullo modo constitui potest, nisi antea constet, an omnino Iudaeorum gens vel ipsorum certe doctores ante et circa aetatem Iesu Christi corporibus alteram vitam polliciti sint, tum vero vnde eius spei notitiam, si quam habuerunt, hauserint, an denique opinionem de ea re habuerint, cum I. C. sententia plane consentientem.

Cum ii, qui Christum eius doctrinae autorem ac patrum esse nolunt, plerumque in ea sint sententia, Iudaeos eam ab alio quodam Orientis populo, vt Persis, Egyptiis, accepisse et ex Babylonico exilio secum in patriam attulisse, huius dogmatis non nisi per orientem historiam breuiter concinnabimus, missis iis, quas aliis, vt graecorum poetis ac philosophis, Democrito, Epicuraeis, Stoicis, Platoni, nec non Celtis, Indis, etc. obtrudere, non vindicare solent viri eruditi, de mortuorum resurrectione opinionibus. De his enim exponere, tum a consilio nostro alienum esset, tum post aliorum, *Hodii d)* inprimis et *Moshemii e)* operam, superuacaneum. In ea vero parte historiae, quae Iudaeos ipsos, eosque populos spectat, quibuscum commercii aliquid habuerunt vel quocunque vinculo iuncti fuerunt, exponenda, viri docti haud parum diligentiae atque ingenio aliorum reliquerunt.

Quaeritur primum, an doctrinae, de qua agitur, vestigia quaedam expressa in libris Iudaeorum sacris inueniantur? Si concesseris, de quo dubitare vix licet *f)*, spem immortalitatis antiquissimis reipublicae Iudaicae temporibus fuisse, mirandum omnino esset, si in libris Iudaeorum sacris nulla dicta obuia essent, quae ad futuram corporum mortuorum, si non restitutionem, tamen perennitatem quandam trahi possent. Vitam enim ab omni materia auulsam antiqui populi et in his inprimis Iudaei animo informare haud poterant. Igitur animam post mortem vel corpore amictam fore vel ipsam, subtilissimam scilicet materiam, altius euolaturam esse sibi persuade-

*d)* The resurrection of the same body asserted from the traditions of the heathens, etc. London 1694.  
*e)* Dissert. ad Hist. eccles. pertinentes Vol. II. p. 585 sqq.  
*f)* Cf. inprimis *Doederlein* Instit. theol. christ. ed. 4. P. II. p. 121-129.



suadebant. De tali vero corporum futura vita multi V. T. loci, quorum nonnullos postea afferemus (not. g.) agunt. Quamuis autem hanc spem *resurrectionis fidem* appellari nolim, tamen non longe remota ab ea videtur, ita, vt ab vna ad alteram transitus facile pateat. Atque inde equidem factum esse putauerim, vt vocabula, quibus proprio sensu nonnisi corporum extinctorum instaurationem designare solerent, etiam ad immortalitatem vniuersam transferrentur. Veluti Christus rogatus *περι της αναστασεως των νεκρων* Math. XXII, 23 sqq. locum affert v. 32 quo perennitas quidem nostra post mortem, corporum autem ad vitam reditus minime firmatur. Idem vocabulo *παλιγγενεσις* accidisse videtur.

Enimuero non modo corporis post mortem superstitis spem, sed resurrectionis etiam, quam vocamus, notitiam quandam tempore V. T. fuisse, doceri potest. Haud vtar locis, qui a multis ad hanc causam ornandam frustra afferuntur, vel ambiguis vel obscuris vel omnino alienis g), sed claris et certis. Tales vero per omne V. T. nonnisi tres reperio. Primus extat Esai. XXVI. Iudaei e Babylonico exilio reduces carmen canunt. V. 14. *Mortui*, inquit, *isti non reuiuiscunt, inferi non resurgent.* Mortui dicuntur hostes Iudaeorum, Babylonii, ita iam fracti et prostrati, vt Iudaeis vim et calamitatem inferre amplius haud possint. V. deinde 19. Iudaei de se ipsis ita praedicant: *Mortui tui nunc viuunt, cadauera eorum restituta sunt. Resurgite et ouate vos, qui in sepulcris habitabatis. Ros herbarum erat ros tuus* (Ros, quem tu lehoua! in nos demisisti, nos quasi plantas emortuas recreauit, auxilio tuo in meliorem conditionem restituti sumus) *Tyrannos autem nostros* (Babylonios) *humi* (ארץ positum pro באר lud. III, 25.) *proiecisti*, tanquam cadauera! Altero loco eoque nobilissimo Ezech. XXXVII. reditus e Babylonico exilio et restitutio reipublicae Iudaicae ita repraesentantur, vt diuinus vates vallem sibi conspiciere videatur ossium plenam. Ossa vero illa mox voce prophetae carne vestiuntur, cute et neruis teguntur,

A 3

animan-

g) v. c. Job. VII, 7 sqq. IX, 25 sqq. Psalm. VI, 6. XVI, 11. XVII, 15. XLIX, 15. LXXXVIII, 11 sqq.



animantur et in corpus viuum iunguntur *h*). Tertio denique loco Dan. XII, 1-3. praedicitur, tempore Iudae Maccabaei multos ex iis, qui sub terra obdormierint, experrectum iri, alios quidem ad vitam, alios ad ignominiam aeternam i. e. multos tum, qui diu sollicitudinibus ac terroribus perculsi latuerint, prodituros, alios ad gloriam immortalem in defendenda patria reportandam, alios autem, contra patriam et religionem maiorum turpiter arma ferentes, labe nunquam delenda nomen suum commaculatuos *i*).

Duo sunt, quae ex his V. T. locis colligimus, *primum* quidem: Esaiam, Ezechielem, Danielelem imagines a noua corporum extinctorum vita ac restauratione petere haud potuisse, si resurrectionis notitia et spes tum in ipsis, tum in aequalibus nulla omnino fuisset; *deinde* iam Esaias aetate notionem vitae corporibus post mortem reddendae obtinuisse, sed tenuiorem, ampliorem Ezechiele florente, satis denique explicatam eo tempore, quo Danielis liber conscriptus fuit, cum ea aetate etiam praemiorum spem et suppliciorum metum cum ea coniungere solerent. Si quaeris, vnde eam opinionem hauserint Iudaei, nihil impedit, quominus eam ex naturae quodam iudicio et ex obseruatione plantarum, e semine putrescente efflorescentium, aliarumque rerum naturalium, quae post apparentem mortem laetius resurgunt, primum manasse existimemus. At dicis, Iudaei eam ex Babylonia in patriam adduxerunt. Haud resisterem, nisi Iesaias eius mentionem fecisset. Quid quod ne certis quidem testimoniis constet, eam inter Babylonicos cognitam fuisse. De reliquis populis, quibus Iudaei hanc doctrinam debere perhibentur, infra videbimus.

Ceterum ea post reditum Iudaeorum e Babylonia maiorem apud eos auctoritatem et vim consecuta esse videtur. Id quo casu euenerit, historia non docet, sed coniecturis assequi licet. Et primum quidem notitias eiusmodi tenues initio et parum explicatas robur paulatim ex consuetudine et ex nisu humani

*h*) De hoc loco nuper egimus in Neue Beiträge zur Erläuterung der biblischen Propheten. Göttingen 1791. p. 287.

*i*) cf. l. c. p. 104.



humani ingenii, ad certiora et ampliora progrediendi, capere notissimum est. Deinde haud errauerimus, si expectationem melioris vitae, corporibus olim reddendae, tot calamitatibus, exilio, seruitio, periculis, laboribus in Iudaeis confirmatam ac nutritam fuisse existimauerimus. Accedit denique, quod Iudaei in Babylonia versantes libros suos sacros praua et incerta interpretatione ad sensum alienum detorquere didicerunt. Igitur locos, quales modo attulimus, de resurrectione mortuorum, proprio sensu sumta, interpretari coeperunt et *imagines in rem* conuerterunt. In alios locos ob similitudinem aliquam vel figuram doctrinam istam, tam caram iam sibi et optabilem, intulerunt. Et huius quidem moris in multis locis Talmudicis (v. p. 10 sqq.) nec non in N. T. vestigia expressa videmus. Veluti, vt hoc vnum nunc afferam, Joh. V, 28. 29. Christus de mortuorum ad vitam reditu iisdem fere verbis mentem declarat, quibus in Daniele cap. XII. eorum, qui ex locis subterraneis prodirent, vel gloria vel decus pingebatur.

Resurrectionis mortuorum non leuem tantum notitiam, sed spem et fidem certam *aetate Maccabaica* fuisse locis, qui sequuntur, edocemur. Autor libri II. Maccab. qui medio ante Christum seculo vel circa annos M. 3800 - 3850 scripsisse videtur *k*), in Historia matris, septem filiis, nece cruenta ac dolorum plena, orbatae haec inter alia refert. Filius secundus inter tormenta et cruciatus ac moribundus regem his verbis alloquitur: Συ μὲν, ἀλασος, ἐκ τῆ παροντος ἡμᾶς ζῆν ἀπολυεις, ο δε τῆ κοσμου βασιλευς ἀποθανοντας ἡμᾶς ὑπερ των αυτε νομων εἰς αἰωνιον ἀναβιωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀνασῆσει. (VII, 9.) Deinde tertius linguam carnifici porrigens ita laetus exclamat: ἐξ ἑρανῶ ταυτα κειτημαι, και δια τῆ αυτε νομῆς ὑπερορω ταυτα, και παρ αυτε παλιν ἐλπίζω κομιζεσθαι. (v. 11.) Igitur sese linguam recuperaturum esse, sperat ac confidit. Mater fortior, quam a femina expectatur, in teterrimo, ac horrorem et sanguinis pleno spectaculo, virilem prodit animum et filios magis, quam se, ita consolatur: εδ' οἰδ' οπως εἰς τιν ἐμνη εφανητε κοιλιαν, εδε εγω

*k*) Cf. versio huius libri auctore I. G. Hassé. Ienae 1786. p. 281.



το πνευμα και την ζων ὑμιν χαρισαμην, και την ἐκασε σοι-  
 χειωτην εκ εγω διευθμισα. Τοιγαρον ὁ τε κοσμος κτισησ,  
 ὁ πλασας ανθρωπω γενεσιν και το πνευμα και την  
 ζων ὑμιν παλιν αποδωσει μετ' ελεος, ὡς νυν ὑπερορατε  
 εαυτες δια της αυτε νομης. (v. 22. 23.) Alius locus memora-  
 bilis extat eodem libro c. XII. Dimicant Iudaei cum Gorgia  
 ac victores discedunt. Post praelium cadauera caesorum ex  
 suis sepulcro condere aggrediuntur. Quibus dum vestimenta  
 detrahunt en! donaria, idolis consecrata sub iis abscondita  
 (ὑπο της χιτωνας ιερωματα ειδολων) conspiciunt. Igitur de  
 causa, qua necem sibi contraxissent, nemo dubitat. Hymnum  
 Deo canunt, qui, acutissimus scilicet factorum consiliorumque  
 omnium testis et iudex iustissimus, abscondita retegat et ob-  
 scura in lucem protrahat. Iam horrendi peccati expiatio pos-  
 tulatur. Coguntur 2000 drachmae ac Hierosolyma mittuntur,  
 (v. 43-46) προσαγαγειν περι ἀμαρτιας θυσιαν, πανν, iudice  
 historico, καλωσ και ασειως πραπτων (Iudas Maccabaeus)  
 ὑπερ ανασασεωσ διαλογιζομενος. Ει γαρ μη της  
 προπεπτωκοτας ανασηναι προσεδοκα, περισσον αν ην και  
 ληρωδες ὑπερ νεκρων προσευχεσθαι. Ειτ' εμβλεπων τοις  
 μετ' ευσεβιαν κοιμωμενοις καλλιζον αποκειμενον χαρισηριον, οσια  
 και ευσεβης ἡ επνοια' οθην περι των τεθνηκοτων τον εξιλασμον  
 επομισατο της ἀμαρτιασ απολυθηναι. Addimus locum XIV,  
 37-46. Rhazes, Iudaeorum Cicero, πατηρ enim των Ιεδαιων  
 appellatus fuit, vir pius, fortis ac probus, quicquid carum  
 habebat, pro patria deuouens, Nicanori proditur. Adfunt  
 milites, domum Rhazis cingunt, ignem portis admouent. At  
 ille mortem voluntariam turpi captiuitati et supplicio praefe-  
 rens gladio se transfigere conatur. Cum autem vulnus haud  
 letale esset, a festinante scilicet tentatum, et miles iam per  
 fores intraret, ille in murum currere et in multitudinem infra  
 se praecipitare. Recedunt et, spatio facto, infelix Rhazes in  
 ventrem ruit. Spirat adhuc, furor et irae robur expiranti  
 ministrant. Igitur sanguine torrentis instar e vulnere prorumpente,  
 vltimos spiritus sumit, in pedes sese erigit, viam sibi  
 per populum aperit, in collem ascendit, ac, vt ipsis Historici  
 verbis afferamus, quod caput rei est: παντελωσ εξαιμος ηδη  
 γενο-



γενομενος, προβαλων τα εντερα και λαβων εκατεραις ταις χειρσιν, ενεσεισε τοις οχλοις και επικαλεσαμενος τον δεσποζοντα της ζωης και τε πνευματος, τα αυτα αυτω παλιν αποδεναι, τον δε τον τροπον μετηλλαξεν. Ex his locis sponte consequitur, non solum aetate autoris libri II. Maccab. sed et eo tempore, quo Antiochus Epiphanes Iudaeorum nationem omni genere suppliciorum affecit, eos hac spe sese consolatos esse, fore ut defunctis non modo corpora, sed eadem fere corpora, et id quidem haud naturae vi quadam occulta, sed a Deo omnis vitae auctore ac mundi domino, reddantur. E locis VII, 9. 22. 23. id etiam colligere licet, spem immortalitatis et fidem futurae corporum restitutionis isto tempore artificio nexu coniunctas, imo fere easdem omnino fuisse. Suspiciaris fortasse, historicum suae aetatis sententiam antiquitati tribuisse. Sed ipse a Maccabaeorum aetate parum remotus fuit, nec non XII, 44. disertis verbis obseruat, expiationem pro defunctis factam inanem, imo nugas fuisse, nisi spes resurrectionis fuerit.

Progredimur ad locos Talmudicos. Si ex his sententias Iudaeorum tum ante Christum, tum ipsa illius aetate erui posse putamus, nemo harum rerum gnarus nobis obiiciet, scriptores Iudaicos N. T. longe recentiores esse et quasdam sententias e N. T. haustas suis libris inseruisse, cum satis constet, nonnisi collectionem librorum recentiore esse, eosque sententias antiquissimorum doctorum et traditiones veteres quamplurimas, easque ad verbum expressas, complecti, et, quae de doctrinis et dictis N. T. a scriptoribus Iudaicis ereptis quidam suspicantur, commenta et fabulas esse 1). Ex his igitur scriptoribus historiam doctrinae de resurrectione mortuorum tum eo certe seculo, quod Christum praecessit, tum eius ipsius aetate adumbrare conabimur. Argumenta huius doctrinae ex libris Hebraeorum sacris tantum non omnibus praua interpretatione petere solebant doctores celeberrimi. Sanhedr. fol. 90. 2. *Interrogarunt Sadducaei Rabban Gamalielelem.*

Vnde

1) Cf. *Schoettgenii* Hor. hebr. et talmud. T. I. Praef. §. XIII-XV.



Vnde probatur, Deum suscitaturum mortuos? Ex Lege, inquit ille, et ex Prophetis et ex Hagiographis. Probatur ex Lege, sicut dicitur: Et dixit Iehoua Mosi הנך שכתב עם אבותיך וקם רקם העם (Deut. XXXI, 16.) Dicunt ei: At forte sensus est הוה וזכה Probatur ex prophetis, sicut scribitur: *Viuent mortui tui, cum cadauere meo resurgent, expergiscimini et iubilate, qui habitatis in puluere* (Esai, XXVI, 19). At forte, inquiunt illi, hi sunt mortui illi, quos resuscitauit Ezechiel. Probatur ex Hagiographis, sicut scribitur: *Palatum tuum est sicut vinum optimum, vadens ad dilectum meum ad reditudines, loqui faciens labia dormientium* (Cant. VII, 9). At forte, inquiunt illi, motant labia sua in mundo m). Adde Avoda sara fol. 18. 1. — Sanhedr. fol. 90. 1, vbi iis in seculo futuro pars haud conceditur, qui negant resurrectionem ex Lege probari posse (n). Expectarunt etiam Iudaeorum multi, fore vt ad Messiae gloriosum aduentum multi defuncti ad vitam corporis redituri sint. Hierof. Chetubb. fol. 35. 1. *Iussit. R. Ieremia, cum me sepelitis, induite pedibus meis calceos et baculum date in manum meam meque in latus vnum reponite, vt, cum aduenerit Messias, sim expeditus o*). Inprimis autem prophetas aduentante Messia in vitam reuocatum iri, sibi persuaserunt p). Messiam ipsum corpora vita functorum restitutum, Deum vero ea animaturum esse loco, qui sequitur, imagine iudaica repraesentatur. Sohar Genes. fol. 77. col. 303. *Traditio est, R. Iochanan dixisse: Metatron, שיר הפנים, qui est puer, seruus Domini sui, המושל עליו, praefectus animae omni tempore* (Messiae descriptio) — *rationem sumturus est in sepulcris a Dumah, angelo, mortuis praefecto, illumque Domino suo oblaturus est. Idem ille fermentationem ossium intra terram iacentium, suscipiet vt corpora restituat eaque in integritate sua sed sine anima constituat. Deus vero S. B. illam in locum suum collocabit q*).

An

- m) Cf. Lightfooti Hor. hebr. et talm. ad Joh. IV, 25. nec non ad I Cor. XIV, 21. Posteriori loco monstratur, Iudaeorum doctores resurrectionem mortuorum etiam e Iosua et Psalmis probasse.
- n) Cf. Schoettg. ad Matth. XXII, 29. et Joh. VI, 36.
- o) Lightfoot ad Matth. XXVII, 52.
- p) Lightfoot ad Joh. I, 21.
- q) Cf. Schoettg. T. II. p. 366 fq.



An vero Iudaei Messiam breui post mortem tempore ad vitam rediturum, suisque viuum se demonstraturum esse, sibi persuaserint, id vix ausim definire. Memini, *Dittonum*, Anglum eruditum, negare, de resurrectione Messiae in scriptis Iudaeorum mentionem fieri. Contra vero *Schoettgenius r)*, in hac certe causa testis fide dignior, rem extra omnem dubitationem positam esse pronunciauit. Verum enim vero omnes loci ab eo allati ita comparati mihi videntur, vt non minus vel ad resurrectionem Messiae, longo interuallo a morte eius seiunctam et communem cum reliquis hominibus, vel, ad Messiae in terra aduentum trahi possint. Sed de horum locorum recta interpretatione disputare, nimis longum foret. Pergitur igitur ad certiora. Corpus resurgentium purum, splendidum, pulcrum, sibi fingebant. Sohar chadasch fol. 43. 1. *in resurrectione mortuorum sic erit*, בר רוהמא רקרמיהא לא אשתכחת תמן, i. e. tantum quod immundities antiqua ibi non inuenitur. Bechai in Legem fol. 14. 3. בני תחיית יהי החומר שלהם וך ונקי. Accedit מדרש הנעלם in Sohar Genes. fol. 69. col. 271. R. *Pinchas dixit: Deus S. B. corpora iustorum tempore futuro tam pulcra reddet, sicut corpus Adami fuit, cum in paradysum ingrederetur.* R. *Leui dixit: Quando anima adhuc in coelo est in lumine caelesti, tunc illo vestitur: quando vero ad corpus redibit, cum eodem lumine hoc fiet* הרקיע כוהר יאיר הגוף ראו Ibid. fol. 20. col. 275. res ex argento, in furnum iniecto et a scoriis separando illustratur s). Addamus hoc vnum e libris talmudicis. Restitutionem corporum futuram haud raro non Deo, non Messiae, sed *Spiritui Dei*, per prosopopoeiam, vt videtur, tribuunt. Ita Schir haschirim Rabba fol. 3. 2. *Pietas nos ducit ad spiritum sanctum, spiritus sanctus ad resurrectionem mortuorum, resurrectio mortuorum ad Eliam prophetam t)* Spiritus ille in מדרש הנעלם in Sohar chadasch fol. 15. 4. describitur: R. *Iehuda fil. Passi obuiam venit R. Nachmano, dicens ipsi:*

B 2

ארתו

r) l. c. T. II. p. 565 sq.

s) l. c. T. I. p. 668.

t) Leguntur fere eadem in Sota p. 974. ed. Wagenf. Avoda Sara fol. 20. 2. Gemar. Hieros. Schekalim fol. 5. 2. et Bechai in Leg. fol. 213. 3.



בה להחיות בו המתים i. e. *ille Spiritus, per quem Deus S. B. resuscitaturus est mortuos, quisnam est? Respondit ille: הוא רוח אספקלירא* (lat. specularis) של מעלה, a quo homines scientiam veram accipiunt. Vnde vero hoc nouimus? Ex *Ezech. XXXVII, 6. etc. u).*

His locis ne abuti videar, hoc addam, me has sententias non omnes omnibus Iudaeis tribuere, neque etiam singulos antiquissimas pronuntiare. Sed multas earum a celeberrimis Iudaeorum doctoribus, quibus magna apud multitudinem auctoritas fuit, ante et circa Christi tempora adoptatas fuisse, tum ex rationibus supra allatis, tum ex eo certum fit, quod ex ipso N. T. doceri potest, easdem fere opiniones Christi aetate per Iudaeam regnasse. Si quis igitur locis talmudicis parum fidat, ipsis N. T. claris testimoniis cedere cogetur. Cur vero Math. XXII, 23. obseruatur, Sadducaeos dixisse, *μη ειναι αναστασιω*, nisi contraria opinione multi ea aetate tenebantur? Ceterum e v. 24-30. intelligitur, multos fuisse qui satis indigne et ex sensu magis quam ex ratione de mortuorum resurrectione sentirent. Job. XI, 24. Martha fidem resurrectionis profitetur, haud a Christo, ut videtur, sed a maioribus acceptam. Act. XXIII, 6-8. Paulus coram synedrio constitutus, reputans secum, iudicum alios ex Sadducaeorum, alios, eosque plures, e Pharisaeorum secta esse, ut hos sibi conciliaret, *περι ελπιδος, inquit, και αναστασιως νεκρων εγω κρινομαι*. Historicus autem illustrandae rei causa addit: *Σαδδουκαιοι μιν γαρ λεγουσι μη ειναι αναστασιω — φαρισαιοι δε ομολογουσιν*. Act. denique XXIV, 15. Paulus diserte perhibet, Iudaeos, accusatores suos, non secus, ac ipsum, sperare, fore, ut corpora omnium hominum (*δικαιων τε και αδικων*) e sepulcris uiua aliquando prodeant. Accedit, quod Christus nunquam se huius doctrinae primum auctorem professus est, sed potius de ea ita praecepit, uti de re cognita et non plane inaudita disputare solemus.

Post haec tam clara atque graua argumenta vix aliis opus erit testimoniis, iisque eo facilius carere possumus, cum sint fere vel incerta vel obscura vel a re aliena. Quae de Phari-

u) Cf. Schoettgen T. I. ad Rom. VIII, 11.



*Pharisaeorum* fide afferuntur Iosephi loca x), omnino de animorum quodam ad corpora reditu loquuntur, sed de migratione animorum potius quam de resurrectione mortuorum intelligenda sunt y). Quicquid sit, certum atque exploratum est, Pharisaeis doctrinam μετεμψυχωσεως placuisse, eam vero spem restitutionis corporum futurae haud tollere z). Grauior ad causam nostram videtur alius Iosephi locus, quo fidem resurrectionis Iudaeorum genti ea de causa haud obscure tribuit, quia maxima ipsorum pars eam profiteretur: τὰ θεὸς τὴν πίστιν ἰσχυρὰν παρεχόμενος, ὅτι τοῖς τὰς νόμους διαφυλάξασιν, καὶ εἰ θεοὶ θνησκὴν ὑπὲρ αὐτῶν προθύμως ἀποθανεῖν ἐδώκεν ὁ θεὸς γενεῶναι τε παλιν καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐκ περιτροπῆς. *Esseni* doctrinam de instauratione corporum num afferuerint, an reiecerint, de eo nihil certi constat. Veterum loci neutrum euincunt a). Istam vero doctrinam reliquis eorum decretis, Platonicis b) scilicet, repugnare, monstravit Moshemius. Sed veteres sectas haud raro sententias secum pugnantes amplexas esse, notissimum est. Quamuis autem nonnisi de *Pharisaeorum* secta certo constet, eam corporibus futuram renouationem pollicitam esse, nolim tamen cum Moshemio inde colligere, Iudaicae gentis minorem tantum partem tempore seruatoris eam approbasse. *Pharisaeorum* enim schola reliquas ista aetate tum autoritate tum numero facile superauit.

His ita enarratis, doctrinam hanc inter Iudaeos a tenuibus initiis profectam et paucis primum cognitam, paucioribus

B 3

pro-

x) Antiqq. XVIII, 1, 3. Bell. Iud. II, 8, 14. III, 8, 5.

y) Cf. *Basnage* Hist. des Juifs T. II. p. 493.

z) Vtramque doctrinam etiam postea multi Iudaeorum coniunxerunt cf. *Menasseh ben Israel* de resurr. L. II. c. XVIII. et hodie coniungunt.

a) Locum *Philonis* de Cherubim et flammeo gladio T. I. opp. p. 159. *Mangey* de Res. Mort. interpretatus erat, *Moshemius* de initio nouae illius vitae, ad quam animae corpore exeuntes festinare dicebantur, explicare docuit l. c. p. 599 sq.

b) Etiam Platonicis hanc sententiam affingebant *Origines* adv. Celf. L. V. §. 8. *Euseb.* Praepar. ev. XI, 33. ὡς καὶ νεκρὸς ἐγγερθεῖν ὁ Πλάτων ὁμοίως τοῖς Εβραίων λόγοις ἰσορεῖ. Sed vid. not. Moshemii ad Orig. l. c.



probatam, magis magisque amplificatam et somniis ac commentis deformatam, maiora tandem incrementa cepisse, patet. An vero Iudaeos eam vel partem certe illius ab aliis gentibus vicinis, quibuscum vel commercio, vel itineribus vel pactis vel bellis coniuncti erant, didicisse, prorsus infitiamur? Minime vero; fieri id omnino potuit, sed factum esse nullis plane argumentis historicis doceri potest. Neque enim gentem ullam antiquam noscimus, quae similem, nedum eandem de futura corporum humanorum sorte opinionem tenuerit, qua Iudaeos imbutos fuisse vidimus. Sunt, qui *Arabum* partem ante Muhammedem mortuorum resurrectionem agnouisse perhibent. Haud ignoro, *Abulpharagium c)* nec non *Sciaharestanum* et *Ebnol Athirum*, quos citat *Pocockius* in specimine Historiae Arabum, id referre, neque de horum testimoniorum veritate dubito. An igitur Mosen ex Arabia doctrinam istam adduxisse putemus? Sed nulla eius vestigia in Pentateucho apparent. Fateamur ergo quod res est, Arabes, si quam corporibus defunctis restitutionem polliciti sint, a Iudaeis et Christianis, ante Muhammedem inter ipsos degentibus et religionis suae decreta profitentibus ac propagantibus *d)*, id accepisse; plurimos autem ipso auctore Korani teste omnem defunctis reuiuiscendi spem abstulisse. Alii hanc doctrinam ex *Aegypto* in Palaestinam migrasse perhibent, sed Aegyptios ipsos ullam eius notitiam habuisse nullo modo euincere possunt. *Origines* quidem libro aduersus Celsum *e)* eadem illis de hac re placuisse scribit, quae *Stoicis*. Sed horum de *παραγγευσια* sententia a Iudaeorum de mortuorum restauratione placitis alienissima fuit *f)*. At dicis: Aegyptii corpora diligentissime curarunt, vt resurrectioni ea conseruarent. Sed recte Moshemius *g)*: qui corruptionem a corporibus arte ac vnguen-

c) Hist. dynast. IX. p. 101. ed. *Pocock*.

d) Cf. ii, qui de conditione religionis, ante Muhammedem in Arabia praeceperunt *Lud. Maraccius*, *Dav. Millius*, *Ios. White*.

e) L. V, 3, 8.

f) Cf. *Mosh.* l. c. p. 623 sq. et ad *Originem* adv. *Celsum* p. 519. not. 7. nec non *Tiedemanni* *Sytem der stoischen Philosophie* P. II. p. 102 sqq.

g) *Diff.* l. c. p. 652.



unguentis propulsant, illi negare id ipsum, quod Christiani, (addam Iudaei) adseuerant, putandi sunt. Sunt denique, qui Iudaeos dogma de mortuorum corporum restitutione ex *Magis Persarum* hausisse opinantur. Demus, hisce Magis eadem vel similia placuisse, cur igitur inter Iudaeos vestigia huius doctrinae antea inuenimus, quam Persarum gens ipsis innotuit? "At *Zoroaster*, inquis, restitutionem corporis dissoluti et fieri posse et futuram credidit" *h*) Sed primum huius rei testimonium certum nullum affertur *i*), deinde Zoroaster ipso etiam Cyro iunior fuit *k*). Dogma autem nostrum longo ante Cyrum tempore inter Iudaeos floruisse demonstrauius. Persarum vero Magos dogma nostrum amplexos esse, id quamuis etiam ab Eudemo Rhodio, Plutarcho, Aenea Gazaeo tradatur *l*), vnus Theopompi incerta et infirma autoritate nititur. Ita scilicet *Diogenes Laertius m*): Θεοπομπος εν τη ογδοη των φιλιππικων' ος και αναβιωσειδαι κατα τις μαγες φησι τις ανθρωπος και σειδαι αδανατες και τα οντα ταις αυταν επικλησει (ταις αυτων διακλησει edit. Amstel. 1692) διαμενειν *n*). Ambigua haec esse et ad immortalitalem vniuersam trahi posse, quisque videt.

Restat, vt paucis exponamus, quomodo Christus hanc doctrinam genti suae cognitam et familiarem tractauerit. An igitur Christum ipsum alienum ab ea fuisse existimemus, quia primus illius auctor haud extitit? An igitur e religione christiana proscribamus eam et simulata tantum Iesu autoritate confirmatam

*h*) Verba sunt *Grotii* de verit. rel. christ. L. II. §. XI. extr.

*i*) An locus, quem excitat *Grotius*, argumenti loco haberi possit, ipsi lectores iudicent *Clem. Alex. Strom. V. p. 599.* Sylburg. αυτος γε ο εν Ζοροαστην γραφει - τελευτησας εν αδη γενομενος, εδαην παρα θεων. του δη Ζοροαστην τετον ο Πλατων δωδεκαταιον επι τη πυρα κειμενον αναβιωσαι λεγει.

*k*) Cf. *Meiners* de Zoroastris vita, inuentis et scriptis in *Comment. Soc. reg. scientiar. Gotting. 1777. 1778.*

*l*) Cf. *Mosh. l. c. p. 635 sq.*

*m*) Prooem. p. 6. ed. Col. Allobr. 1615.

*n*) Liceat hoc loco corrigere errorem *Grotii* l. c. vbi ita: "inter *Peripateticos* *Theopompus* restitutionem corporis futuram esse credit, de quo *Diogenes Laert. initio libri* --" *Theopompus* vero neque fuit philosophus *Peripateticus* neque doctrinam de res. mort. credidisse eum ex loco *Diogenis* consequitur. *Diogenes* enim non sententiam *Theopompi* ipsius sed *Megorum* ex *Theopompo* refert.



tam dicamus? Minime vero. Primum enim Christus doctrinam istam haud simpliciter repetiit, sed a somniis et commentis quibus commaculata erat, purgatam et a curiosis ac inutilibus quaestionibus liberatam ita proposuit, ut rectae rationi ac sensui humano non posset non esse acceptissima o). Deinde Iesus dulcissimam spem corporis praestantioris, nobilioris, firmioris olim recuperandi, non dictis solum sed et re ita confirmavit, ut dubitationi locus non relinqueretur. Christus enim ipse intra triduum vitae redditus est et viuum se mortalibus conspicendum dedit. Eius vero in vitam reditus nobis pignus nostri in meliorem vitam reditus esse debet (1 Cor. XV, 12. 13. Phil. III, 21). Quid? quod ipse ille, humani generis frater et dux, se nos in vitam reuocaturum spondit (Hebr. II, 10. 11) quam Iudaei non nisi suae genti pollicerentur. Quamuis igitur Christus haud primus de ea re locutus sit, verae tamen et sanioris atque indubitatae doctrinae de R. M. primus auctor et vindex extitit, eamque ex tenebris in lucem reuocasse cum Paulo dici potest (2 Tim. I, 10).

Est igitur, ciues optimi, cur festos hosce dies, quibus memoriam grauissimi et humano generi vtilissimi euentus recolimus, sancte ac pie celebremus. Cogitemus, quam arduum et iucundum sit, scire, corpus, quod circumferimus, melioris ac nobilioris materiae flamina complecti. "Ii igitur, qui ab oculis nostris abeunt, non omnino consumuntur. Desinunt, non pereunt. Mors, quam pertimescimus et recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies. In hoc mundo nihil extinguitur, sed vicibus descendit ac refurgit. Aestas abit, sed alter annus illam adducit: hiems cecidit, referent illam sui menses: solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Stellarum iste decursus, quicquid praeterierit, repetit: pars caeli leuatur assidue, pars mergitur." p) En vero resurrectionis nostrae imagines et pignora! *Σπυριεται εν φθαρα, εγειρεται εν αφθαρσια· σπυριεται εν ατιμια, εγειρεται εν δοξη· σπυριεται εν ασθενια, εγειρεται εν δυναμει· σπυριεται σωμα ψυχικον, εγειρεται σωμα πνευματικον.* P. P. Vigil. Pasch. MDCCXCII.


o) Cf. *Bonneti*, philosophi pii ac profundi, Palingenesiam philosophicam.

p) Vbi fere fumus verbis Senecae Ep. XXXVI. ed. Bip. opp. T. III. p. 110 s. christianis omnino, nisi a Stoico philosopho profecta essent.



- 24, *Doquintus*, quatenus disciplina religionis  
et theologiae christianae pendeat ab historia  
Iesu Christi. Auctore Ammon. Göttingae
- 25, *Variarum de origine fessu sententiarum experientis*  
Göttingae.
- 26, *Botanicae de futura corporum exanimatorum*  
*inspiratione, autem lapsu in historia. Auctore*  
*Staudlin. Göttingae.*
- 27, *Comment. de legis Moysiacae momento et*  
*ingenio, collectione et effectu. Auctore*  
*Staudlin. Part. I. Göttingae 1796.*
- 28, *Scriptis II.*
- 29, *De religione naturali publica. Auctore Staudlin.*  
Göttingae. —
- 30, *Declaratio diversitatis linguarum ex*  
*traditione Semitica Originis. Auctore Cichorn*  
Göttingae 1788.
- 31, *Deu zur Veranschaulichung des Jenseits*  
*verf. von Dr. Ammon. Göttingen 1795.*
- 32, *Ueber die Aufklärung des inneren Menschlichen*  
*innere Mystiken mit dem moral. Mod. in*  
*Sammlung christlicher Bücher von Dr. Ammon.*  
Göttingen, 1796. —
- 33, *Von der Aufklärung und der Beschaffenheit*  
*innere myst. Aufklärung. von Dr. Ammon.*  
Göttingen, 1797. —

























II

Salom. 9, 1.), alma mundi conditrix, hominumque  
 Prov. 8, 31. Sap. Sir. 24, 6 f. Ioh. 1, 5.), post multos  
 osque irritos mortalium erudiendorum conatus (Sap.  
 ), in terra Israelitica fixit pedem (κατεσκηνωσε v. 8.  
 ), humanamque sibi Iesu Christi formam induit. 'O  
 ἐγενετο: diuina sapientia inter Iudaeos surrexit,  
 o vnita. Praeter moralem istam diuinae sapientiae  
 nem vix opus erat, vt alia historiae I. C. primordia  
 aret, quamuis accurate satis et sine vllis traditionum  
 de illis exponere potuisset.<sup>16)</sup> Eandem viam in-  
 dius Paulus, qui diuina Messiae praedicata colli-  
 tenus a Ioanne differt, vt in sapientiae, quam sum-  
 en in Messiam transfudit, descriptione non Iesaiam,  
 biorum auctorem sequatur, quare factum est, vt  
 rimum a Deo creatum (πρωτοτοκον πασης κτισεως  
 ) esse adfirmet, quum de sapientia idem contendat  
 v. 8, 22. קנני (ἐκτισε Deut. 32, 6.), רכזי רכזי  
 רכזי). Ioannes autem, spiritum sapientiae inter  
 Dei attributa referens,<sup>18)</sup> τον λογον vere Θεον, hunc-  
 ενσαρκωθεντα esse adferit.<sup>19)</sup> Plura decerpere ex  
 historia

HERDER *vom Erlöser der Menschen*, p. 60 sqq.

OPPE ad Rom. IX, 5.

ICHORN l. c.

dam hanc in rem iam bene disputata videas in cel. HEZELII  
*Schriftforscher*, tom. II. p. 549 sqq. De discrimine Christo-  
 oannis et Pauli, quod hic innuere tantum licet, alio loco co-  
 sponposituri sumus.

35.  
3  
3  
31.  
29.

